

oculos, unicumque intuitum sustinere possit, qui veluti insitæ misericordiæ oblitus, iratum justoque furore adactum se nobis ostenderet? Amplissimæ hujus civitatis, otio assuetæ, luxu deliciisque diffluentis, errata id commeruisse: quibus modo recessibus, quibus latebris ab eo se obtegeret, quem ubique præsentem, neque in cælum ascensu, neque in inferna descensu, neque velocissimis pennis in remotissimas regiones transgressu vitare posset: unicum tantum præsentibus malis remedium esse, ut qui iratum Numen offensa lacessiverint, iidem poenitendo jejuniis aliisque pietatis operibus placare niterentur: hoc tantum immensam Dei Optimi Maximi benignitatem conciliari, decretaque in miseros mortales (si ita fari licet) immutari. Si contritum Nivitarum pectus, profunda populi humilitas, Regis in solum procumbentis seque prostermentis pietas, latam a Deo sententiam, vastam perdendi civitatem, revocare potis fuit; cur qui sacra baptismatis unda abluti, nunquam alium Deum, quam qui ex nihilo cuncta in lucem produxit, agnovimus; qui nullam aliam, quam ejus religionem coluimus, fiduciæ nonnihil sumere poterimus, ut post tot clades, atque ærumnas respirare tandem nobis liceat. Nemo est, qui præsentis calamitates non persentiat; gravius ceteris nos experimur, quibus hujus civitatis totque populorum cura concredita est. Proni itaque ac supplices Deum Optimum Maximum exoramus, ut nostrorum erratorum oblitus, averfam faciem in nos convertere, egregiumque opus, cui divinam illam suimet imaginem insculpsit, agnoscere velit. Pecasse universam (inquit) hanc civitatem, prævaricatum populum, tuis sanctissimis jussis præceptisque minime obtemperasse fatemur. Ecce lacrimabundi veniam petimus, atque ex intimis cordis penetralibus nondum extinctæ pietatis indicium expromimus. Senatus iste, quo cingimur, nosque ipsi Divina Majestati tuæ templum, unigenito Filio tuo, Redemptori nostro, vovemus; perpetuum posteritati publicæ religionis Venetique Senatus pietatis monumentum, singulis annis a nobis posterisque nostris religioso cultu invisendum, quo & pestifera cladis, & Divinae opis auxilium in omne ævum æterna memoria consecratur. Hæc animi nostri demissa ne spernas obsequia, a te omnipotens Pater petimus; Angelo jubeas tuo, ut cruentum illum atque horrificum gladium vagina recondat. Taque, Dei-

pa-